

trahunt ad terram, ita Esau et Jacob collidebantur in utero matris, quo significabatur fore eos duorum populorum duces, bonorum et malorum, atque inter perpetuum et implacabile bellum gesturos; siquidem boni reprehendunt malos, mali vexant bonos.

Primo, Esau fuit prior et honoratior apud homines, sed Jacob apud Deum, sic communiter in hoc sæculo reprobi excellunt bonis fortuna, genere, opibus, dignitatibus, et ideo coluntur ab hominibus, præferuntur cæteris, promoventur, amantur: cum interim apud Deum sint inglorii et postremi. Contrarium accidit justis, Esau diligebatur ab Isaac secundum quid, quia comedebat de venatione ejus, Genes. XXV. sed Jacob a Rebecca et Deo (Malach. I.) absolute, quia bonus erat; sic mali diliguntur a mundo, sed ob temporalia tantum commoda, boni vero absolute ab Ecclesia et Deo quia virtuosus.

Secundo, Esau serviit Jacobo, major minori: sic impii licet hic videantur dominari justis, revera tamen serviunt potius, quia sua persecutione, crucibus et tormentis fabricant eis coronas. « Quomodo mali serviunt bonis? (ait S. August. serm. LXXVIII. de temp.) quomodo persecutores martyribus, quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, ut illi coquantur, illa consumantur, quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. »

Tertio, Esau prior egressus est, sed Jacob egredientis plantam manu tenuit: ita impiorum initia prospera sunt et læta, extrema vero luctuosa et funesta. In calcaneo enim et fine vitæ subjiciuntur justis, qui, ut dicitur Sapient. III. *Judicabunt nationes et dominabuntur populis*. Reprobi in planta, id est, fine vitæ tentos se videbunt ligatos peccatorum vinculis, justis vero liberos.

Quarto, Esau erat totus in modum pellis hispidus, Jacob autem lenis seu glaber, Gen. XXV. et XXVII. Ita reproborum mores asperi sunt, duri ac feroces; bonorum vero lenes, humani, mansueti. Ad Esau pertinebat Nabal, qui rogatus a servis David pro comætu, verba dedit aspera: *Quis est David? Et quis est filius Isai? Hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos, etc.* I. Reg. XXV. Ad Jacob vero mater ejus Rebecca, quæ rogata ut pauxillum aquæ daret ad bibendum de hydria sua, respondit: *Bibe, domine mi, quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant*, Genes. XXIV.

Quinto, Esau factus est vir gnarus venandi et homo agricola, Gen. XXV. Hebr. *vir agri*, (q. d.

tantum) Jacob autem *vir simplex habitans in tabernaculis*, i. e. domi suæ se continebat et vitæ quietæ ac culturæ animi sui vacabat, ut ibi Cajetanus notat. Sic impii semper extra se sunt, dum terrenis bonis inhiant et ad animam suam non attendunt. Contra *pii a distractionibus ad mentis secreta se restringunt et ibi quasi in tranquillitatis sinu requiescunt*, ait S. Gregorius, libro V. moral. capite VII. Unde recte Hesiodus dixit: *Melius est esse domi, damnosum vero est foris vagari*.

Sexto, Esau vili lenticula vendidit Jacobo primogenituram, hocque damnum suum initio parvi pendit, sed ad extremum maxime sensit, doluit et flevit, cum rugitu et clamore, licet irrita pœnitentia. Contra Jacob emit a fratre jus primogenituræ, quod licet primo eidem obfuisse potius quam profuisse videbatur, dum propterea in fratris odium incidit, sensit tamen postea id sibi profuisse, dum Chananeam tenuit, quam Esau ei cesserat abiens in Idumæam, Gen. XXXVI. Ita reprobi jus adoptionis filiorum Dei et cœlestis hæreditatis cum vilissimis bonis et sæpe ex mera libidine ac curiositate (quemadmodum et Esau coctionem rufam mera cupiditate ductus emit, non necessitate, ut qui in divite domo multa meliora habebat) commutant, juxta id Ezechie XIII. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis ut interficerent animas*: et Proverb. VI. *Pretium scorti vix est unius panis; mulier autem vir pretiosum animam capit*. Ad hæc damnum hoc, gravissimum licet, rident, et pro nihilo ducunt; ad extremum tamen sentit in articulo mortis (quamvis absque fructu) quam male sibi consulerint. Unde et audi ejulantes, Sapient. V. *Nos insensati, etc.* Vicissim vero pii emunt cœlum ab impiis quodammodo, dum eorum injurias tolerant, dum ipsis benefaciunt, dum pro ipsorum peccatis gemunt seque affligunt, dum eis terrena sua bona cedunt, uti S. Franciscus patri suo secum litiganti, jus paternæ hæreditatis, etc. quod licet eis obesse potiusquam prodesse videatur, proderit tamen in fine, cum emigrandum erit.

Septimo, Esau duxit uxores alienigenas eoque facto parentes suo graviter offendit, Jacob vero duxit uxores de cognatione sua juxta votum parentum. Ita mali malos sibi ad sociare student, ut magis noceant, in quo Deum et Ecclesiam magnopere offendunt. Dicebat Rebecca: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth*, quia scilicet Esau duxerat eas in uxores: simili modo dolet Ecclesia, cum alter alterum seducit. Boni se bonis jungunt et in hoc Deum et Ecclesiam lætificant. Viderit nunc unusquisque utram sequi

partem velit, utri adhærere fratri. Utique qui sapit, Jacobo adhærebit, etc.

## CONCIO VIII.

## MYSTERIA.

I Quis parabolæ scopus. — II. Quis bonus et quis malus seminator. — III. Qui triticum. Qui zizania. — IV. Quis ager. — V. Qui dormientes. — VI. Qui servi patrifamilias. — VII. Licetne hæreticos occidere. — VIII. Quomodo periculum, ne cum zizaniis eradiceatur triticum. — IX. Quid alligare in fasciculos.

## THEMA.

*Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit semen in agro suo. Math. XIII.*

Finxerunt olim pœtæ (Ovid. libro VI. metamorph.) puellam quamdam nomine Arachnem arte textrina celebrem eo se extulisse, ut cum Pallade dea sapientiæ et inventrice artium in certamen descendere et artificio contendere auderet. Sed cum nonnisi obscurum quemdam cœli arcum pingeret, Pallas vero deos cœlestes pulcherrimo artificio et suis coloribus texeret, Arachne a Pallade radio percussa, mutata est in araneam et pendula in aere relicta, ut telas aranearum texeret ad muscas capiendas. Depingit nobis fabula hæc certamen Luciferi cum Deo. Cum enim ei similis esse contenderet, turpissimam in cœlo telam, peccatum texuit. Unde e cœlo dejectus aerem nunc infestat et laqueis tentationum suarum homines, velut areana telis suis muscas, captat. Hoc idem est, auditores, quod audivimus in hodierno evangelio. Bonus enim sator, qui triticum seminavit, Deus est; malus vero, qui superseminavit zizania, diabolus. Quod nunc expendemus.

I. Quis est scopus hujus parabolæ? Resp. parabolam ostendere primo, Deum non esse mali auctorem, sed diabolum; unde confutantur Calvinus et Lutherus ac Melanchthon, qui peccata etiam Deo velut auctori adscripserunt. Secundo, perpetuum esse bellum et æmulationem diaboli in Christum, ut dum Christus homines bonos facit, faciat ipse malos. Tertio, in Ecclesia semper malos fore inter bonos. Ut ita nemo miretur, si verbum Dei sæpe in terram malam ceciderit, quod paulo ante in alia dicebatur parabola.

II. Quis homo seminator boni seminis, et quis inimicus homo, seminator mali? Resp. ipsomet Christo explicante: *Qui seminavit bonum semen est Filius hominis*. Primo, quidem, cum creavit hominem perfectum. Deinde, et peculiari ratione,

cum in sterilem hunc mundum velut in agrum, rusticano sago naturæ humanæ indutus et lintheo virgineæ carnis præcinctus se dimisit, et agrum hunc sudore, lacrymis et sanguine suo excoluit ac ligone crucis prosedit. Unde miratur Jeremias, c. XIV. *Quare quasi colonus futurus es in terra? Cui respondetur ex hodierno evangelio; quia venit seminare semen bonum, siquidem ager mundi opera diaboli pene totus repletus erat urticis et zizaniis. Christus eum prosedit et invertit, dum honorum, opum et voluptatum cupiditates sepelivit, amorem vero contemptus, paupertatis, tribulationum in lucem produxit et hominibus commendavit. Porro inimicus homo, qui seminavit zizania, est diabolus, inquit Dominus. Inimicus quidem Dei quia ab eo detrusus in infernum, Christi quia ab eo judicandus, hominum quia invidet illis sedem et gloriam cœli, a qua ipse excidit. Homo vero dicitur, tum quia hominum ingeniis et desideriis se accommodare solet, cum eos tentat, tum quia hominum opera ad sequendos homines, tamquam suis instrumentis utitur.*

Seminat hic zizania, id est, homines malos, quia ex bonis tales efficit suis consiliis, technis et persuasionibus. Laborat Christus, ut faciat homines triticum, laborat dæmon ut faciat eos zizania.

III. Qui sunt semen bonum seu triticum, qui zizania? Respondet Christus: *Bonum semen hi sunt filii regni, zizania autem filii sunt nequam*. Boni seu filii regni, id est, hæredes cœli, semen bonum et triticum vocantur, quia hic fructus bonos faciunt et creseunt in virtutibus, ut tandem panis mundus et candidus fiant Deo bene placens. Unde S. Ignatius dicebat: *Fruentum Christi sum, dentibus bestiarum molar ut panis mundus inveniar*. Secundo, quia in mundo seminis instar crescere et maturescere, interim tamen multis agitari tempestatibus debent.

Zizania vocantur filii nequam. Primo, quia ut illa succum pene omnem ad se trahunt et suffocant vicinum semen bonum, ita et mali in mundo omnia pene commoda ad se rapiunt, bonisque abstrahunt. Secundo, quia ut zizania variorum colorum flores sunt, qui pueris quidem placent, sed displicent agricolis, quia farinam nigram præbent et inutilem; ita qui honore, vestitu et opibus florent, mundo quidem placent, sed non item Deo. Tertio, quia ut zizania in pabulum brutorum tantum cedunt, sic mali in escam dæmonum: *Mors depascet eos*, et semper in æternum ruminabit. In specie vero tales sunt hæretici secundum Augustinum et alios. Primo, quia post bonum semen, id est, post catholicos pri-

num seminati prodierunt. Secundo, quia sicut zizania dicuntur hominem reddere quodammodo ebrium, vel insanum, sic facit et hæresis. Quanta enim est insania sibi uni plus credere, quam Ecclesiæ et tot sanctis patribus; et jactare se solum videre quod a tot sæculis nemo ante vidit? Tertio, quia non tam alte excrescunt ut semen bonum, sic hæretici terræ affixi. Quarto, quia radicibus implicant se tritico; ne evelli possunt; ita quoque hæretici immiscent se catholicis.

IV. Quis ager? *Ager est mundus*, ait Dominus. Ager nimirum ille, qui non solum ab ipso creatus est, sed etiam qui sanguine ejus emptus: unde vocat eum agrum suum. Agro vero comparatur mundus, primo, quia totus terreus est, et vix in eo ambulari potest, ut sordes non contrahantur. In cælo plateæ sunt ex auro et parietes e lapidibus pretiosis, uti Joan. ait Apoc. XXI. sed mundus ager est luto stratus. In hoc agro omnes quotquot sumus, sepelitur peregrini; ut vere mundus aliud non sit quam commune cœmeterium. Secundo, quod pro ratione culturæ fructus proferat. Si bene ac sedulo colueris portionem tuam, quam habes in hoc agro multum fructum afferet; sin vero male, pariet tibi urticas et zizania.

V. Qui sunt homines dormientes? Non explicavit hoc Dominus. Resp. ergo primo, esse eos, qui otio se dant et in bonis propositis torpent ac cessant bene agere. Unde Epiphanius, hæres. LXVI. « Cum nos (inquit) obdormierimus a bonis operibus, cum neglexerimus justitiam, cum mentem nostram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc seminamus peccata. » Sic cum cessamus ab oratione quotidiana, frequentatione missæ et sacramentorum, etc. tunc aditum dæmoni patrefacimus. Secundo, esse superiores et prælatos, qui ex officio cum vigilare pro subditis deberent non vigilant. Qualis Gallio Ille proconsul, qui causam litigantium non curabat, nec punivit eum, qui ante tribunal alterum cæcidit, Actor. XVIII. Potest etiam intelligi per hunc somnum seu tempus nocturnum, ipsa Dei permissio. Ex quo enim abiit in cælum, videtur nunc dormire et permittere mala, quæ fiunt instigante dæmone.

VI. Quinam servi patrisfamilias, qui monuerunt eum de zizaniis ortis et eradicandis? Nec hoc expressit Dominus; neque necessarium est ad rem accommodare omnia, quæ dicuntur, in parabolis: cujus rei exemplum dat Augustinus, l. XVI. de civitate, c. II. *Solo vomere*, inquit *terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria*. Inducuntur ergo hi servi, ut occasionem haberet paterfamilias

docendi eos patientiam et mandandi illud: *Sinite utraque crescere*. Quamquam per illos intelligi pii fideles possunt, Dei zelo præditi, qui cum tot mala patrari ab impiis ad Dei et priorum injuriam vident, desiderant eos tolli; quo modo Boanerges illi dicebant: *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cælo et consumat illos?* Luc. IX. et apostolus ad Gal. V. *Utinam abscondantur, qui vos conturbant*.

VII. Licetne hæreticos occidere? Respondeo SS. August. et Chrysostomum existimasse non licere, quod id colligi videretur ex hoc loco: *Non, ne forte eradicetis, etc.* Sed nihil obstat hic locus: (nam ad litteram non hæretici tantum, sed omnes reprobi vocantur zizania) ex quo sequeretur neque fures, maleficos, homicidas, etc. occidendos esse, quod est contra Dei mandatum: *Maleficos non patieris vivere. Aufer malum de medio populi, etc.* Deut. XIII. Exod. XXII. Deinde ex his Christi verbis solum colligitur, tunc non eradicanda zizania, cum periculum est, ne simul eradicetur et triticum, uti senserunt S. Hieronymus in eum locum, tom. IX. et August. lib. III. contra epist. Parmen. c. II. qui et retractavit priorem sententiam, lib. II. retract. c. V. Cum ergo tale periculum non est, sed potius id tritico salutare est, licebit. Denique, verbis his non prohibetur hujus vel illius mali aut malefici eradicatio; sed omnium universim malorum, qualis non fiet ante judicium. Ostenditur itaque sola Dei providentia, quæ tolerat malos inter bonos in hoc mundo usque ad tempus. Dici etiam potest verba patrisfamilias non fuisse directa ad magistratus, quorum est punire flagitia, sed ad servos tantum suos, qui privata auctoritate et zelo volebant insurgere in zizania de medio tollenda, quod fas non est.

Occidi autem et comburi quidem hæreticos jubet lex Cæsarea, Quicumque, c. de hæret. Dicit etiam Tertullianus Scorpiaci, c. II. *Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda hæresis*. Quod si ex veteri lege sacerdotis filia in fornicatione deprehensa flammis exurebatur, quod violasset nomen patris sui, Levit. XXI. non immerito idem statuit lex Cæsarea faciendum animæ, quæ cum sit Christi summi sacerdotis filia, fornicatur a vera fide ad falsam transeundo. Sic miles, qui sacramentum duci suo præstitit, si ad hostem transfugit, morte dignus est et plecti potest: non item qui semper hostili ex parte stetit. Vulpes Samsonis colligatæ ignem in cauda habentes segetem incenderunt et simul perierunt; ita et hæreticis segetem Ecclesiæ vastantibus debetur ad finem emignis, ut docet Augustinus, serm. de Sams.

Quantum ignem excitat vel una hæreseos scintilla, nisi mox opprimatur? « Igitur et scintilla (ait Hieron. super ep. ad Gal. c. V.) statim ut apparuerit extinguenda est; et fermentum a massæ vicinia removendum, secundæ putridæ carnes, scabiosum animal a caulibus ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus et pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. » Sic Hieronymus.

VIII. Cum zizania soleant ac possint eradicari, quomodo periculum esse dicit paterfamilias, ne simul cum zizaniis eradicetur et triticum? Resp. primo, quia si omnes mali tolli deberent, periculum foret, ne interdum ex errore etiam pro et cum malis boni tollerentur; sicuti cum in Hispania plebs furiosa non solum hæreticos Priscillianistas, sed multos etiam catholicos perdidit, anno 386. hæresin magis pallore faciei et vestibus, quam verbis ac confessione metiens, ut inquit Sulpitius, dial. III. de S. Martino, cap. XV. Secundo, quia si trucidarentur omnes mali, atrox et irrevocabile bellum inferretur orbi, ubi et bonis plurimis pereundum esset. Tertio, quia periculum foret, ne boni scandalizarentur ob tam rigidam et universalem in impios ultionem, quibus amicitia et sanguine juncti sunt. Quarto, quia probi multi nascuntur ex improbis; unde qui hos sustulerit, etiam illos tollet. Quinto, quia ut ait S. Augustinus, serm. XLVI. de diversis. *Fieri potest, ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum*. Sexto, quia impii sanctos exercent et quodammodo faciunt. Tolle impios tyrannos, et martyres non erunt. Ut ergo rosæ juxta allia fiunt fragrantiores, ut scribit S. Gregorius, ita boni juxta reprobos. Messis tempus cur judicii diem designet, diximus alibi.

IX. Quid sibi vult illud: *Alligate ea in fasciculos, etc.* Resp. significare primo, pares cum paribus in judicio congregandos et in ignem mittendos. Unde S. Augustinus, serm. XXXIX. de sanctis ait: « Ligat fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, avaros cum avaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, similes cum similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendum, etc. »

Secundo, secundum Euthymium: *Ostendit sermo, inquit ipse, quod ii, qui in eodem peccato communicant, etiam in supplicio communicati sunt eodem, etc.* Sic usurarius, et uxor se ex usuris vestiens, liberi inde splendide viventes, in fasciculum. Sic epulo et potator, et hospites qui instigarunt, et socii qui comessati sunt, et fidicines qui admodulati sunt, et parasiti qui arriserunt, et parentes qui pecunias dederunt, in fasciculum. Filia superbe ornata, et mater quæ ornavit, et juvenis qui adamavit, ancilla quæ suasit, et pater qui non correxit, et concionator qui non redarguit, in fasciculum. Filius injusta bona possidens, et parentes qui reliquerunt, et filii quibus reliquit, et uxor quæ adjuvit, et confessarius qui non correxit, in fasciculum. Huc pertinet illud Ecclesiastici XXI. *Stipula collecta synagogæ peccantium et consummatio eorum flamma ignis*. Stipulæ enim colligatæ fortius ardent et se mutuo accendunt; ita complices in inferno complicati in fasciculos. Nonne adulter et adultera statuti ante fores Ecclesiæ cum cereo et virga sibi mutuo pœna sunt et supplicium?

Tertio, secundum Theophylactum, significat, alligandos esse damnatos, ne amplius operari possint.

Quarto, significat damnatorum coarctationem et compressionem: siquidem tot millones hominum in centro terræ conclusi erunt.

Justi vicissim congregabuntur in horreum Christi, id est, cælum. Hi venient ad fasciculum viventium, id est, cœtum beatorum. Judæi passim tumbis mortuorum amicorum inscribebant: *Anima ejus sit in fasciculo viventium*. Ut dicitur in libro, qui inscribitur, precesiones Judæorum. Id vero significat beatos sedulo conservari a Deo et custodiri, ut patet I. Reg. XXV. *Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, addit Dominus. Quemadmodum fasciculus florum in manu semper tenetur et naribus subinde applicatur, etc. sic etiam servabuntur sancti a Christo. Quare tempestive quilibet oculos aperiat, et quid eligat, videat. Non enim frustra addidit Dominus ultima hæc verba: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Pendet enim ab hac nostra electione salus et perditio sempiterna.